INSTITUTIONUM PHILOSOPHICARUM
PARS PRIMA.

LOGICA.

3. Quamvis mens humana sit simplex et una, variæ sunt tamen ejus operationes. Quædam sunt regulæ certaque præcepta, quibus, si optimè cognita et perspecta sint, istæ operationes infallibiliter diriguntur, sive in detegendâ falsitate, sive in inveniendâ veritate aliisque demonstrandâ. Collectio horum præceptorum et regularum *Logica* vocatur.

Logica itaque, quæ à pluribus definitur *ars cogitandi*, est *scientia practica quæ mentis operationes dirigit tùm in inquisitione, tùm in manifestatione veritatis.*

4. Tot igitur debent esse Logicæ partes, quot sunt operationes mentis. Porrò quatuor sunt mentis operationes, nempè *Cogitatio* seu *Perceptio* (la pensée) cùm mens aliquid sibi repræsentat, absque ullâ affirmatione aut negatione ; *Judicium,* cùm mens pronunciat de cogitationum habitudine (sur le rapport des pensées) ; *Discursus* seu *Ratiocinium,* cùm judicium ex alio seu ex aliis infert ; et *Methodus,* cùm cogitationes, judicia et ratiocinia convenienti modo disponit. Quatuor sunt igitur Logicæ partes, singulæ de singulis illis operationibus tractantes.

CAPUT PRIMUM.

DE PRIMA MENTIS OPERATIONE, SEU DE COGITATIONE.

I. *De naturâ cogitationum.*

5. *Cogitatio* seu *perceptio* (la pensée) est è numero earum rerum quæ faciliùs sentiuntur quàm explicantur. Definiri solet, *mera alicujus rei repræsentatio in mente facta.* 1o. Est *repræsentatio,* quia menti exhibet quid sit res in se ; v. g. cogitatio trianguli clarè repræsentat menti figuram